

8.—(1324).

Will of MARCO POLO. (In St. Mark's Library.)†

In Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Dni. Nri. Jhu. Xri. millesimo trecentesimo vigesimo tertio, mensis Januarii die nono, † intrante Indictione septima, Rivoalti. Divine inspirationis donum est et provide mentis arbitrium ut antequam superveniat mortis iudicium quilibet sua bona sit ordinare sollicitus ne ipsa sua bona inordinata remaneant. Quapropter ego quidem MARCUS PAULO de confinio Sancti Johannis Chrysostomi, dum cotidie debilitarer propter infirmitatem corporis, sanus tamen per Dei gratiam mente, integroque consilio et sensu, timens ne ab intestato decederem, et mea bona inordinata remanerent, vocari ad me feci JOHANEM JUSTINIANUM presbiterum Sancti Proculi et Notarium, ipsumque rogavi quatenus hoc meum scriberet testamentum per integrum et completer. In quo meas fidecommissarias etiam constituo DONATAM dilectam uxorem meam, et FANTINAM et BELLELAM atque MORETAM peramabiles filias meas, ut secundum quod hic ordinavero darique jussero, ita ipse post obitum meum adimpleant. Primitus enim omnium volo et ordino dari rectam decimam et volo et ordino distribui libras *denariorum venetorum* duo millia ultra decimam, de quibus dimitto soldos viginti *denariorum Venet. grossorum* Monasterio Sancti Laurentii ubi meam eligo sepulturam. Item dimitto libras trecentas *den.* *Venet.* YSABETE QUIRINO cognate mee quas mihi dare tenetur. Item soldos quadraginta cuilibet monasteriorum et hospitaliorum a Gradu usque ad Capud Aggeris. Item dimitto conventui sanctorum Johannis et Pauli Predicatorum illud quod mihi dare tenetur, et libras decem Fratri RENERIO et libras quinque Fratri BENVENUTO Veneto Ordinis Predicatorum, ultra illud quod mihi dare tenetur. Item dimitto libras quinque cuilibet Congregationi Rivoalti

† This is printed line for line with the original; it was printed in the first edition, ii. pp. 440-441, but was omitted in the second. The translation is given in the Introductory Essay, vol. i. pp. 70-73, *seqq.*; with a facsimile.

‡ *I.e.*, 9th January, 1324.